



OTto ille Ludouici Boiorum filius, atque Ottonis Friderici Barbarossæ signiferi, q̄ post Heinricum eiectum Bauariæ dux creatus erat, neq̄ pos extirrit. Habuit is Agnetem Heinrici Palatini Rheni derelictam filiam, uxorem. Vnde etiam uiuente adhuc patre, qui in Heinrici Cæsaris indignationem uenerat, atque Cæsareo senatu motus Kelheimij priuatim habitabat, utrunq̄ ducatum Boiorum & Rheni à Cæsare impetrauit, atque eas ditiones in fidem accepit. Erat enim is multis uirtutibus ornatissimus princeps. Mortuo patre arcem Trostberg ædificauit, atque postea Friderico Austriae duci bellum indixit. Postea etiam cum Romano pontifice, religione motus, cōtra Fridericum secundum Romanam ecclesiam persequentem fœdus inijt. Cum autem fraudes pontificis & Imperatoris patientiam cognouisset, Friderico reconciliatus, eius filio Conrado regi Palestinæ filiam Elisabetham despondit. Eo autem tempore eius ditionis episcopi Ratisbonensis, Bathauientis, & Brixientis sese plane principis obedientia subtrahere, atque templis & seruitijs omnium rerum immunitatem inducere satagebant. Itaque cum ijs plurimas lites habuit, sua iura defendit, atque ducatum Bauariæ plurimum auxit & locupletauit. Nam Tetrarchias à Bogen, Vuindberg, Andech, Damasiæ, Hohenuart, Phalai, Crainburg, Pieinting, Liebenauu, Vuasserburg, & Belaunos, primus Bauariæ ducum infiscauit, cū illorum locorum domini absq̄ liberis decessissent.